Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tamquam non fuerit ab apostolis dictum. Contra pelagianos autem hoc de-
fendendum est quod utique scriptura commendat quod se accipere profi-
tentur. Hoc opus sic incipit. Dic mihi queso te utrum deus non sit
auctor mali.

De genesi adversus manicheos libri duo.

IAM VERO in affrica constitutus scripsi duos libros de genesi
contra manicheos. Quamvis et in superioribus libris quicquid disputavi
unde ostenderem deum summum bonum et inmutabilem creatorem
omnium mutabilium naturarum. nec ullam esse naturam malam sive
substantiam in quantum natura est atque substantia adversum manicheos
nostra vigilaret intentio. isti tamen duo libri aptissime adversus
eos editi sunt in defensionem veteris legis quam vehementi studio ve-
sani erroris obpugnant. In primo ab eo quod scriptum est in principio
fecit deus celum et terram. donec vii. peragantur dies. ubi legitur
deum requievisse in die vii. In secundo autem ab eo quod scriptum est hic est
liber creature celi et terre donec adam et uxor eius dimissi sunt de
paradyso. et custodia posita est ligno vite. Deinde in fine libri
errori manicheorum. fidem catholice veritatis opposui. quid
illi dicant et nos quid dicamus breviter apteque conplectens. Quod vero
dixi. illud autem lumen non irrationabilium avium oculos pascit
sed pura corda eorum qui deo credunt. et ab amore visibilium rerum
et temporalium se ad eius precepta implenda convertunt. quod omnes homines
possunt si velint. Non existiment novi heretici pelagi-
ani secundum eos dictum esse. Verum est et omnino omnes homines hoc posse
si velint. sed preparatur voluntas a domino et tantum augetur munere
caritatis ut possint. Quod hic ideo non dictum est quoniam presenti ne-
cessarium non erat questioni. Quod vero ibi legitur. benedictionem
dei de qua dictum est crescite et multiplicamini in carnalem fecun-
ditatem post peccatum conversam esse credendam. si non potest alio modo
dictum videri. nisi ut putentur illi homines non habituri fuisse
filios homines nisi peccassent omnino non approbo. Illud etiam